

dudum uxor eius fato concesserat^a apud Ianuam. At ille dixisse dicitur: 'Absit, ut contra Dey^a mandatum causa huius vite quicquam comitam^b'. Tandem morbo invalescente ex infecto corpore anima pura migravit ad Dominum. Obiit X. Kalendas Septembris anno Christi MCCCXIII⁰. Cuius corpus Pissas illatum est et in ecclesia maiori conditum. Eius interitu a Guelfis metus et a Gybelinis spes concepta defluxit. De huius augusti laudibus omnes, tam Guelfi quam Gybelini, concordant. Nil reprehensibile^a in eo est cognitum, virtutibus omnibus ornatus, ut Theodosio augusto^c in fide et moribus possit equari. In armis vero magis strenuus esse visus est, nam dum iuvenis certamina que torniamenta dicuntur exercuit, pars cui adhesit semper prevaluit, ut in hiis semper invictus extiterit.

De Ugutione de Fazola¹.

Pissani ab huius augusti spe destituti Ugutionem de Fazola ducem sibi prefigunt, virum in rebus agendis prudentem^d, strenuum, magnificum atque fortem. Hic accepto^a belli ducatu^e habens Pissis presidia equitum Germanorum, qui cum augusto fuerant bello, Guelfos pulsavit, maxime Lucenses vicinos Pisanis infestos; pauci exules Luce Pisanis adheserant. Itaque quam maxime agrum Lucensium populantur. Castella deripit^f et diripit, Lucam afflictat, semel ac pluries suburbia igne consumpsit. Tandem hiis afflictionibus^a de pace agitur cum Pisanis. Exules pace recepti sunt Luce^g. Cum hii a concivibus collerentur^a, simultas concivium veterum animos invasit, virorumque animi ira et odio sautiantur. Utrique subsidia a fautoribus flagitant. Utrimque concurrunt^a, scilicet a Florentia eis qui non exulaverant et a Pisis reliquis, qui fuerant^h recepti. Pugna intra Lucam conseritur, prevenit Pissanorum subsidium, nam propius erat. Irrumpunt eam urbem, adversarios extrudunt. Fit cedes, bona civium diripiuntur^a, qui longa felicitate locupletiores erant,

a) So Hs. b) So Hs. für 'committam'. c) 'Cui gusto' Hs.
d) 'pdentem' Hs. e) 'ducato' Hs. f) Der Buchstabe d ist unsicher,
aber doch wohl so zu lesen; 'presero castelli et guastargli' Uebers.
g) 'Luca' Hs. h) 'fuerat' Hs.

1) Von hier an ist die italienische Uebersetzung von C. Frati a. a. O. herausgegeben.